

Q.K.35373
13.^{de} legum utilitate et necessitate

II l
384

X 187 9842

D. D.

LEGUMINEGLE- CTUS CAUSA MUTATIONUM

EVERSIONUM RERUMP,
de quo
in

ORATIONE VALEDICTORIA

VII. Eid. Maj. A. C. clc Ic LXXIII.

H. L. Q. S.

habenda
agetur,
cui ut



Bonarum literarum Fautores
freqventes velint interesse,
humilimè, observanter & amice rogat

M.PAULUS MARTIN.SAGITTARIUS,
Rector Scholæ Altenb.

AL TENBURGI,
Typis Gothofredi Richteri, Typogr. Aul.

L. C. S.



Uod Reip. salus ac incolumentas non ci-
vium multitudini, non moenium alti-
tudini, nec propugnaculorum firmi-
tudini aut divitarum magnitudini, sed
legum potius constitutioni atque ob-
servationi sit adscribenda, jamdudum
judicavit *Pittacus* Mitylenaeus, à sapientiae studio in-
ter septem Græciæ Sapientes quondam relatus; Ro-
gatus enim à filio Alyattes *Cræso*, Rege Lydorum di-
tissimo, *quodnam imperiorum esset maximum?* re-
spondit: *μικρὰς ξύλας, variis ligni, i. e. variarum legum;*
Nam sicut olim Romæ tabulis æneis atq; eboreis, ita in
Græcia roboreis leges inscribebantur, uti Atheniensium
legibus à Solone conscriptis contigit, teste Svida. Egre-
gium vero Pittaci esse responsum, nemo, cui arcana
politica exploratius innotuere, ibit inficias. Nam quod
forma materiæ, nervi membris, enunciationi copula
& vincula ædificio, id Reip. leges præstant; Quemad-
modum enim materia à forma futurum accipit esse, &
ab eadem in operando dependet, atque nervi membra
corporis, copula subjectum ac prædicatum, partesq; v
ædificii vincula ac ligamenta connectunt: sic & leges
multitudini hominum congregatae, quæ Reip. audit
materia, formam superaddunt, eam combinant, & ne
facilè dissolvatur, conservant: unde à Cicerone Or. pro
Cluentio leges vocantur *Civitatis mens & animus,*
& a Catone *nervi Reip.* Hoc ipsum probè agnovit
modo

modo laudatus Cicero l.c. Ut corpora nostra, inquit, sine mente: siccivitas sine lege suis partibus ac nervis, sanguine ac membris uti non potest. Etl. II. de Leg. Ad salutem civium civitatumq; incolumentem, vitamq; hominum & quietam & beatam, conditæ sunt leges. Utilem itaque navarunt operam, qui colluviei hominum undiquaque collectæ leges præscripserunt salutares. Eo munere dicuntur perfuncti Moses in gente Israëlitica, *Saturnus* apud Italos, apud Corinthios *Phidion*, *Hippodamus* in Milesiorum civitate, *Charondas* apud Carthaginenses, vel Thurios, ut Val. Max. I. VI. c. 5. placet, *Zaleucus* apud Locrenses, *Zamolxis* apud Geræs & Minos in Insula Creta. Sic & Epirotis *Arymbas*, Bactrianis *Zoroaster*, Spartanis *Lycurgus*, Atheniensibus *Draco* & *Solon* & Romanis *Decemviri* utilissimas proposuerunt leges. Quò verò leges finem à legislatore definitum obtineant, vel maximè requiruntur, ut sedula earum habeatur ratio, attendaturque, ne à quoquam subditorum vili pendantur, aut ausu temerario violentur; quod fieri potest, si ipse Nomotheta leges normam actionum suarum habeat, & juxta earum præscriptum Reip. administrationem instituat; sic enim labores ac molestias, quæ occurrunt, feliciter imminuet, & subditorum animos occulta quadam vi, violenta tamen minimè, eo adigit, ut legum jugo se alligari patientur, legibusque morem gerere nulli recusent. Hoc equidem diffitendum non est, Principem i.e. personam Majestate instructam legibus civilibus

non teneri, quoad vim scil. *coactivam*, ut Christ. Matthiae I. III. Synt. Polit. Exerc. 2. sect. 6. statuit, vel ratione *executionis*, ut, si deliquerit, non puniatur, aut qvoad *potestatem extraordinariam & anomalam*, ut vult Besoldus I. I. Polit. c. 2. §. 32. interim tamen negari nequit, saluti Reip. non parum conducere, si Princeps legibus Reip. se astringat, juxta eas imperet, ingenuèque cum Spartanorum duce Pausania fateatur, *leges hominum esse dominos, non contra homines legum*: aut cum Severo & Antonino Imperatoribus: licet legibus soluti simus, juxta eas tamen vivimus. Atheniensium legislator Solon præclarè hoc innuit in responso, quærenti cuiquam, quo pacto salva posse consistere Resp. dato, quod hujus est tenoris: *si ciues Magistratui obediant, Magistratus autem legibus*. Nec alia fuit mens Mandanæ, Cyri matri, quæ teste Xenoph. in Pæd. I. I. in hæc erupit verba: *Regibus non libido, sed leges dominantur*. Eandem calcat viam divinæ eloquentiæ vir Cicero III. de LL. Ut Magistratui, inquiens, *leges, ita populo præsunt Magistratus, vereq; dici potest, Magistratum esse legem loquentem: legem autem mutum Magistratum*. Nec alienus est ab hæc sententia Archidamus Zeuxidami filius, ex quo cum quæreretur, *quiam Civitatis Spartanae essent præfecti? leges, respondit, ac legitimi Magistratus*. Exempla si desiderantur, magnum eorum Historiarum monumenta suppeditabunt numerum. Ex multis pauca hæc. Resp. Spartanæ per aliquot seculorum decursus illæsa stetit atq; incon-

inconcuſſa, quod bonis legibus à Magistratu fuerit ad-
ministrata, ut Justinus I. III. refert. Sic Antiochus III.
Syriae Rex in publicis ad subditos literis exposuit, ut, si
quid legibus contrarium in rescriptis juberet, ne cura-
rent, perinde quasi ipſo nescio scriptum eſſet. Huc
quoque pertinet Imperator auguſtissimus Augustus,
de quo Sveton. in eis vit. c. 56. hæc memoriae prodi-
*Cognoscens Nonium Asprenarem arctius ſibi junctum
cauſam veneficii eſſe dicturum, verebatur, ne ſi ades-
ſet, legibus reum eriperet: ſin de eſſet, deſtituere ami-
cum & prædamnare videretur. Proinde ſedit in ſub-
ſelliis per aliquot horas tacitus, ne laudatione quidem
judiciali data.* Illuſtre quoque reperimus exemplum
in Trajano, quod Plinius Junior in Paneg. c. 60. profert:
*Ingens gloria tua Cæſar, ipſe te legibus ſubjeciſti, quas
nemo Principi ſcripſit: Sed tu nihil amplius viſ tibi
licere, quam nobis: ſic fit, ut nos tibi plus veſimus.
Non eſt Princeps ſupra leges, ſed leges ſupra Princi-
pem. Idem Cæſari, Consuli, quod ceteris, non licet:
jurat in leges attendentibus diis: nam cui magis
quam Cæſari attendant, jurat obſervantibus hiſ,
quibus idem jurandum: non ignarus alioqui
nemini religiosius, quod curaverit, cuſtodiendum,
quam cuius maximè intereſt non pejerare. Itaque
& Magistratu abiturus jurasti, te nihil contra leges
feciffe. Magnum hoc erat, cum promitteres: maſus
poſtquam præſtitisti. Idem de Theodosio ſeniori con-
firmat Pacatus in Paneg. Valeat proinde reſponſum,*

quod Regi Persarum Cambysī ipsius reposuerunt
Consiliarii; Cūm enim germanam suam contra rece-
ptum Persarum morem in uxorem duceret, & de lege
nuptiale fœdus cum sorore permittente sciscitaretur,
responsi loco dederunt: *nullam quidem legem de conjugio cum so-*
rore contrahendo apud Persas se invenire: sed aliam reperisse, quā Regibus
Persarum liceret, quod liberet. Nullo quoque habeatur loco
impia Juliæ Augustæ vox, quam M. Antonino Bassia-
no Caracalla privigno pudicitiam ipsius tentante, edi-
dit; Cum enim hic ore impuro evomeret: *tibet, si licet:*
tunc illa: licet, si liber: an nescis, te esse Imperatorem, & leges dare, non acci-
pere, ut Spartanus in Carac. scriptum reliquit.

Deinde Magistratus legum observationem subditis
non multo labore persuadebit, si leges ex decreto Pla-
tonis I. V. de LL. ferat paucas, & quidem tot numero,
quot Reip. statui sufficiunt: quod Locrenses & Caro-
lum M. fecisse testantur Demosth. Or. contra Timocr.
& Baronius ad A. C. 801. *Legum enim multitudo, se-*
cundum Agesilai judicium, ægræ civitatis est indicium, ut medi-
corum multitudo morborum indicat multitudinem. Adhæc si multæ
proponuntur leges, ex populi facile elabuntur memo-
ria, & sic sui contemptum pariunt non vulgarem. Quod
cum Dionysium Siciliæ Tyrannum non lateret, alias
super alias leges sanxit, quò facilius subditos legum la-
tarum oblitos falleret.

Multum quoque ad legum observationem Magi-
stratus conferet, si leges antiquas, quæ cum pieta-
te, honestate ac Reip. emolumento convenient, abs-
qve

qve causa prægnante casu que necessitat̄ non mutat̄.
Nam ut omnis mutatio est periculosa, ita quoque legum. Hinc non inepte judicavit Cleon apud Thucyd. I.
III. Ea Resp. quæ malis quidem, sed tamen immotis legibus utitur, præstans
ior est ea, quæ bonis quidem legibus utitur, sed mobilibus ac inconstantibus.
Et Augustus Imp. Senatum Romanum ita fertur co-
hortatus, referente Dionel. 52. Positæ semel leges constanter ser-
vate, nec ullam earum immutate: nam quæ in suo statu eademq; semper ma-
nent, et si sint nonnihil vitiosa, utiliora tamen sunt his, quæ per innovationem
meliora inducuntur. Ex his itaque patet, quā ratione subdi-
torum animi ad leges observandas sint trahendi, cui si
locus ex utriusq;, & Imperantis & Parentium parte re-
linquitur, quis ad illam spem non erigeretur, Remp. far-
tam fore tectamque, nulliq; publicarum calamitatum
generi expositam? Contra verò si debita legibus dene-
gatur reverentia, Remp. labefactari, corrui evertique
videas.

De his νομολιγογίας damnis plura in præsenti adducere,
& Politicorum, ut & Historicorum scrinia compilare
animus non est, ne actum videar agere, aut præsentes
pagellas labore alieno complere, quem felici successu
non adiit solum, sed & expedit Juvenis à pietate, præ-
clara indole, modestiâ & stemmatis antiquitate pariter
ac dignitate cuivis bonorum commendandus

AUGUSTUS HENRICUS Sörster/ Coburgo-Franc.
Viri Magnifici, Nobiliss. ac Consultiss. DN. JOH GEORG.
Sörsters/ Hæreditarii in Droschkau/JCti celebratiss. &
Ser. Patriæ Patri à consiliis Cameræ, reddituumque Pro-
vincialium dñm dñctis supremi eminentissimi, Patronis suspi-
cien-

GKTT 384
ciendi, filius natu major, qvem Numen supremūm in-
decus Patriæ, lætam Ampiss. Familiaæ spem & materi-
am in dies proficientis expectationis ac lætitiae conser-
vet quām diutissimè. Hic enim legum studio in Ill. ad
Salam Academia initiandus de *Legum* neglectu com-
posuit Oratiunculam, sermoni Eucharistico, qvo de-
centes Deo, Principi atqve aliis persolvet grates, ulti-
mumque dicet Vale, præmittendam, habendamq; hor.
2. pomerid. Agite igitur, qvi literis legibusq; favetis, in
locum ejusmodi exercitiis destinatum freqventes con-
fluite, dicentem benevolè auscultate, atqve hoc bene-
volentiaæ amorisq; generè facite testatum, qvo affectu
præclara Nobiliss. Dn. Parentis de Vobis Vestrisqve
merita & dignitatem familiæ Fœrsterianæ proseqvami-
ni, qvantumqve Juvenis ingenui ingenio ut & Scholæ
nostræ tribuatis. Valere vos juberem, nî pium qvo-
rundam ex Juventute Scholasticâ propositum vel tria
adhuc addere verba svaderet. Surgent enim bonæ
notæ Juvenes

FRIDERICUS PANCRATIUS Reyser / Altenb.
JOH. BARTHOL. Freyessleben/ Steinpleisla-Var.

&

FRIDERICUS WILHELM. Glauder/ Altenb.
abiturienti sermone Latin. & Germ. ligato felices in
studiis aliisqve conatibus successus apprecantes.

Valete, Musagetæ optimi ac qvibus poteritis rationi-
bus, Athenæi nostri salutem ite promotum! P. P. Al-
tenb. d. VII. Eid. Maj. A. C. clc lcc LXXIII.

VOII



judicavit Pittaci
ter septem Græci
gatus enim à fili
tissimo, quodna
spondit: *mīxīās ēū*
Nam sicut olim E
Græcia roboreis le
legibus à Solone
gium vero Pittaci
politica explorati
forma materiæ, r
& vincula ædifici
modum enim n
ab eadem in operi
corporis, copula
ædificii vincula a
multitudini homi
materia, formam
facilè dissolvatur
Cluentio *leges v*
& a Catone ner



is non ci.
um alti-
n firmi-
dini, sed
que ob-
ndudum
udio in-
us; Ro-
rum di-
um? re-
z legum;
eis, ita in
niensium
da. Egre-
i arcana
m quod
i copula
uemad-
t esse, &
membra
artesq; ve
& leges
ip. audit
nt, & ne
e Or. pro
animis,
agnovit
modo